

nia pinnata; pinnis ad basin in lacinias 3-8 squarrosopatentes, lineares, acutas, sectis. Caulina pauca amplexicaulia. Caulis $1\frac{1}{2}$ pedalis erectus, setis rigidis hispidus, superne ramosus; rami inferiores subdivisi, superiores uniflori, omnes validi. Calathia iis *B. alpinae* fere majores, e flosculis aureis. Periclinii foliola lanceolata basi praecipue lanugine seu fere tomento albido vestita, exteriora dimidio breviora, angustiora, erecta et subappressa. Pappus filiformis albus, in nostris specimenibus immaturis scilicet, sessilis, ut potius *Crepidis* quam *Barkhausiae* speciem existimes — *A Crepide tenuifolia*, quam *coronopifoliae* similem dicit Cl. Willd. quam longissime differre nostram, jam ex ipsa hac similitudine patet; tum vero et folia radicalia dentata tantum in *Cr. tenuifolia*, in *chondrilloide* pinnata.)

512. ZOLLIKOFERIA. *Zollikoferie*.

Periclinium turbinatum, laxe imbricatum, ecalyculatum; foliis interioribus majoribus aequalibus, tempore maturitatis planis hiantibus. Clinanthium nudum. Achaenia in stipitem pappophorum attenuata. Pappus pilosus, strictus, disco terminali excavato stipitis in ambitu insertus. (N. ab E.)

(Compositae, ord. Cichoraceae, Juss. Decand.)

2246. *Z. hieracioides*. N. ab E. *Crepis apargioides*, Willd. III. 3. 1594. Mössl. 1119. *C. Apargia*, Pers. syn. II. 375. *Hieracium stipitatum*, Murr. syst. veg. ed. 14. 718. Host. syn. 433. Jacq. Austr. 3. 293.

In pratis subalpinis (Austr. Salisb. Bav.) 24. Jun. — Augst. (Caulis sulcatus, folio unico vel tribus lineari-lanceolatis instructus, 1-3 florus. Calathia speciosa lutea. — Genus, a Cl. Zollikofer ab Altenklingen, Senatus judicatorii Pagi St. Gallensis membro, jam ante annos *Peltidii* nomine propositum, sibi que id quidem satis constans, neque, ut aliis placuit, cum *Barkhausia*, confundendum, ob nimiam *Peltidii* appellatio-